

## CONCIO III.

QUID IN MONTE THABOR VIDERI POSSIT.

I. Videmus ibi gloriam Christi. — II. Gloriam nostram in cœlo. — III. Videmus regna mundi et gloriam eorum. — IV. Videmus in valle Josaphat specimen faturi judicii.

## THEMA.

*Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Matth. XVII.

Qui procul videre, et multa undique circumspicere desiderat, in prealtum montem ascendit: quemadmodum hic æstivo tempore in vicinum Græcio montem Schockel, ea sola causa aliqui ascendunt, ut ex alto circumspiciant latissimam regionem. Hoc etiam fine jussit Deus Moysen ascendere in montem *Abarim*, h. e. *transitum*, et cacumen ejus Nebo, ut inde ei ostenderet promissam terram Chanaan, jam in conspectu sitam: *Ascende in montem istum Abarim*, inquit, *et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, et morere in monte*, Deut. XXXII. Ascendit Moyses, et monstravit illi Deus totam regionem, ut habetur Deut. XXXIV. In hodierno evangelio mons quidam excelsus nobis demonstratur, mons inquam Thabor, e quo quaquarellum latissimus est prospectus, et mira cerni possunt, etiam remotissima et hominum oculis pervia. In hunc igitur montem hodie ascendamus, et undique circumspiciamus.

I. Videmus quasi cum Stephano cœlum aperatum, ibique divitias et gloriam Domini ac ducis nostri Christi. Invitarat ille ad sequelam et militiam suam universos, quando Matth. XVI. dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Quia vero discipuli ejus præsentes alii dicere poterant: *Quomodo rem tantam, crucem et contemptum hominibus persuadebis, ut tuam sequantur, cum sis homo pauper ne unum quidem cespitem possidens in terra?* Unde tuæ divitiae et potentia? Unde tuis militibus numeres stipendia, et refundas mercedem? Idecirco mox subjecit: *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo, h. e. in regia claritate*, ut ait S. Leo, serm. de transf. quam vobis in specimine et brevi quodam compendio demonstrabo. Exinde cœpit pergere versus montem Thabor, distantem ad viginti leucas seu horas a Cæsarea Philippi, ubi tunc erat Christus cum hoc promitteret, et post sex dies sensim progrediendo, per villas nimirum et oppida prædicando, pervenit ad montem illum, ubi majesta-

tis, gloriæ et potentiae sue specimen edidit, quos omnes invitaret ad sectandam ejus militiam et amplectendam crucem: quando tam gloriosum, potentem et opulentum se ostendit ducem ac remuneratorem. Imprimis enim in vultu solis instar radiante, demonstravit incomparabilem splendorem sue divinitatis; in vesto nivis instar candidissimæ, dotes gloriosi corporis et anime, omnem creatum ornatum longissime superantes; in praesentia Moysis et Eliae societatem et conversationem jucundissimam; in eorum adductione, potestatem in vivos et mortuos; in monte excelso, cœlum empyreum, serenissimum, purissimum, securissimum, spatiosissimum, quemadmodum supra montes præaltos perpetua est aeris serenitas, puritas et tranquillitas, spatiale visuntur amplissima; in nube umbrosa et lucida perpetuam cœli diem omnes tenebras excludentem, neconon stabile refrigerium ab omni æstu et molestia defendens; in extasi et voce Petri, delicias, gaudium, felicitatem sue beatitudinis incomprehensibilem; in voce Patris certitudinem et assecrationem hujus glorie; in tribus denique discipulis suis primariis, testes hujus spectaculi et ostensionis sue. Quis jam haec talia audiens non det fidem et manum ad sequendum ducem istum, ac amplectendam ejus crucem? Sectandam militiam? Assuerus ut ostenderet divitias glorie regni sui, ac proinde subditos sibi magis devinciret, semestre convivium suis satrapis et Susanis civibus præbuit, splendidum quidem et magnificum, sed magis Epicureum, quam regio animo dignum. *Non est enim regnum Dei esca et potus*, ait apostolus ad Rom. XIV. Christus ostendit regnum suum non esse terrenum et carnale, sed cœleste et spirituale, quale ipsum Deum deceat ac delectat. In Persidis regno tyrannus quidam Alaodim, senex de montanis dictus Muletam regionem occupavit, et multos sicarios (quos vulgo Assassinos dixerunt) sibi adjunxit, eosque ad maxima facina patranda obedientissimos reddidit, tali astu. In valle quadam amoenissima et præruptis cincta montibus paradisum omni deliciarum genere (qualem impius Mahometes suis sectatoribus proposuit) instruxit, in fauibus, per quas solas patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset præterquam conscientis. Affirmabat interim, claves se Mahometici paradisi habere; et cum libitum esset, potionem soporifera, quibus vellet, clam oblatæ, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experti cum omnibus deliciis affatim fruerentur, revera se in paradiiso esse credebant. At præstigiator, illa captata opportunitate, medicato poculo

sopitos sursus extra paradisum efferebat. Cum evigilassent, summo mœrore voluptates, quas perceperant, secum repetebant, et earum desiderio mortem optabant, vitam flocci pendebant, et ad omnia que tyranno placerent, patranda sese paratiissimos offerebant, de paradiſi gaudiis si principi suo obedirent, securissimi. Itaque Christianis contra sultanos bellum gerentibus multa intulere mala, nec paucos Christianorum principum insidiis circumventos trucidavere, de salute sua minime curiosi, modo hostibus damnum inferrent. Hac demum arte multas gentes sibi tributarias fecit tyrannus iste, cum Assassinarum insanie religiose nemo resistere posset. Cæterum anno Domini 1262. Allan rex Tartarorum semet hunc in paradiſo triennali obsidione cinctum, inopia alimentorum, seditiōnem tacere coegit, locum abolevit, assecras omnes interemit. Refert Marcus Paulus Venetus, l. I. c. XXXIX. orient. hist. Potuit hic impostor factio et Epicareo suo paradiſo parare sibi milites, et ad quævis adeunda pericula expeditos reddere: quid non possit in Christianos verissimi paradiſi et regni Christi verissima exhibita species?

II. Videmus etiam gloriam et decorem nostrum, quo in cœlo induemur. Assuerus rex ostendere volens, qua gloria honorandus esset fidelis servus, quem vellet ipse honorare, præcepit ut Mardochæus sincerissimus ejus servus veste regia indutus et diademate coronatus, equum regium inscenderet, et ut princeps Amanum præcedens clamaret: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare*, Esth. VI. Eadem ratione voluit Deus Pater Filium suum in monte Thabor honorare, gloria et honore coronare, ei que acclamare: *Hic est Filius meus dilectus*; ut sciamus simili modo honorandos esse in cœlo alias quoque sanctos, fideles Dei servos. Ita enim S. Paulus ait ad Philip. III. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Pro verbo, reformabit, Græce est, transfigurabit. Ergo sicut Christi corpus et vestimenta, vilia tunc temporis et corruptibiliæ, transfigurata sunt in gloriam et splendorem: ita beatorum corpora, nunc terrena, transformabuntur et mutabuntur in cœlestia, radiabantque uti Christus in transfiguratione. Hoc ipsum ex noctilucis vermiculis confirmat Cyrillus Jerosolymitanus, eatech. XVIII. dum ait: « *Justi splendor debuit ut sol et tamquam luna, sicut et splendor firmamenti*; et prævidens istam hominum incredulitatem Deus, veribus parvis lucidum dedit corpus, ut eo splendenter, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim

partem potuit præstare, poterit et totum; et qui fecit ut vermis lumine splendidum efficeret. » Sic ille. Miratur hoc Cbrys. horil. XIII. in eum locum, cum ait: « Si ergo totus orbis lacrymis sumptis eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num digne collacrymarentur, quod cum promissio nobis sit facta, corpus nostrum futurum ita gloriose Christi corpori conforme, illi cum dæmonibus abeant? » Et S. Bernardus, serm. II. de verbis Isaiae, increpat carnem, quod remurmaret si castigetur, cum ejus maxime intersit; si quidem postea adeo fulgebit una cum anima: nec invidendum iis, qui corpus hic splendide vestiunt, cum ibi justi longe splendidius vestiendi sint. Brennus dux Gallos ducens in Græciā, cum Delphis aureas statuas conspexisset (quas tamen non ex solido auro, sed ex ferro, auro leviter asperso factas esse intellexit) suis ducibus renuntiavit, et per illos militibus, incomparabilis pretii statuas ex solido auro fusas esse in civitate; sieque ad oppugnandum fortiter civitatem spe ingentium thesaurorum eos animavit, auct. Polynæo, lib. VII. Nobis tres primarii apostoli Petrus, Jacobus et Joannes renuntiant se vidisse suis oculis Christum cum Moyse et Elia, omnes in majestate plusquam regia, quibus nos etiam similes fieri possimus, si pugnare modo velimus. Quid igitur dubitabimus viriliter certare ut eis assimilemur, et his spoliis ditemur, solidi auro refertissimis? Isaías accepturus arduam et odiosam a Deo commissionem ad redarguendos Judæos, imo et denuntiandum eorum exterminium, ex qua sibi extrema queque patienda esse facile poterat intelligere: ubi ad hoc prius mira illa divinæ majestatis visione confortatus est, jam non difficuler commissionem illam in se suscepit, quinimo seipsum obtulit: *Ecce ego, mitte me*, Isa. VI. Igitur, et quod jussus est, prædicavit, ac pro mercede a Judeis serra lignea dissecus fortiter occubuit. Quid ergo non faciat, non patiatur Christianus spectata jam corona, quam in celo obtinebit?

III. Videmus omnia regna mundi et gloriam eorum, hoc est, schema aliquod mundanæ felicitatis. Auditur enim vox Patris: *Filius apparet gloriosus, adsunt boni amici: ebumbat triclinium nubes lucida, velut auræa et peristromata: latitantur spectatores, et exclamat unus quasi jam falerno ebrios: Bonum est nos hic esse.* Quis non dicit in eo monte celebrari convivium Assueri omnibus deliciis refertum? Vel id, de quo Isaias, cap. XXV. ait: *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiarum, etc?* Et

tamen hæc tanta lætitia brevissime duravit, et repente evanuit. Visum est quidem Petro hoc spectaculum tam jucundum, ut omnium oblitus, illuc perpetuo manere vellet, ipso quoque cœlo neglecto; erravit tamen plurimum, *nesciens quid diceret*. Tametsi enim jucundissimum spectaculum erat, supra omnes mundi delicias, fluxum tamen et terrenum erat, adeoque nihil prorsus respectu cœlestis gloriæ, sed terrenæ beatitudini similius. Nam primo mixtum fuit mœrori, quia in eo fit sermo de morte Christi. Atqui mortis memoria omnia gaudia turbat, ut patet in convivio Balthasar, Daniel. V. in gaudio Achabi, quando descendit in vineam Naboth, ut eam possideret, et pro suis deliciis exornaret; audiens enim in via sententiam mortis in se latam, mox re infecta tristis domum redit, et sacco se operuit, III. Reg. XXI.

Secundo, breve fuit, et repente disparuit: ita omnis mundi gloria et lætitia, quemadmodum etiam nupera transfiguratio bacchanistarum post triduum evanuit. Notus est Sardanapali, Assyriorum regis, luxus et libido, hic tamen quod in vita male docuit, in morte dedocuit; siquidem in ejus monumento statua quædam consertis digitis sonum editura videbatur, teste Athenæo, lib. XIV. Strabone, lib. XIV. Quo symbolo aiunt nihil aliud significatum, quam humana omnia esse id, quod Gregorius Nazianz. in odis ait: *Strepitum manus plaudentis*. Sic nimurum perit memoria eorum cum sonitu (Psalm IX.) qui mundo servierunt. Dicant Bacchi socii quid jam supersit ipsis de gaudiis suis, conviviis, stultiis? Non plus quam strepitus unus.

Tertio, sublate spectaculo glorioso, Moyse atque Elia in maiestate visis, nube insuper pellucida, remansit solus Jesus: *Levantes enim oculos neminem viderunt discipuli nisi solum Jesum*, ait Matthæus. Ita mundus deserit suos demum, quos ad tempus coluit; cum scilicet gloria illorum desinit, veluti in morte, exilio, adversa fortuna, etc. Apparuit hoc inter alios, etiam in prolege Indiae (superiore saeculo, anno 1569.) Francisco Continio, comite de Redondo qui elatus ad sepulcrum eum magno comitatu, et jam ad sepulcrum depositus, dum interim Jo. Mendoza, presens funeri, successor ejus declaratur, repente versa populi gratulatione ad novum proregem, deseritur ab omnibus: nec remansit ad sepulcrum, nisi vile mancipium, quod eum inhumaret, Fr. Sacchinius, in Lainio, l. II. n. LXIX.

Et tamen miseri et ebrii mortales cupiunt in hoc mundi tam exiguo spectaculo perpetuo manere, et quasi cum Petro exclamant: *Bonum est nos hic esse*. Vident Ruben et Gad bona pascua

cis Jordanem, pro jumentis et pecoribus suis, et reniantur possessioni suæ, quam obtinere poterant in terra promissa, jure merito propter hoc increpati a Moyse, Num. XXI. Vident etiam filii hujus sæculi bona quædam pascua, pro jumento corporis sui ac suorum; quibus illecti valedicunt portioni suæ, in cœlo possidendæ, miseri et deplorandi. Fuit hæc transfiguratio unus tantum prægustus cœlestis beatitudinis, et haustus quidam illius ambrosiæ, qua in cœlo fruentur beati sine fine. Miseri peccatores unicum talem haustum nectaris terreni præferunt oceano et torrenti voluptatis æternæ.

IV. Videmus usque in vallem Josaphat, et ibi specimen aliquod futuræ resurrectionis, teste divo Gregorio, lib. XXXII. moral. cap. VII. In transfiguratione quid aliud, quam resurrectionis ultimæ gloria nuntiatur? inquit. Nam in transfiguratione primo, separatio discipulorum facta est, tres assumpti a Christo in montem, reliqui novem inferius relicti sunt: sic electi rapientur ob viam Christo in aera: reliqui et quidem longe majore numero relinquuntur in terra; quia hi terram, illi cœlum dilexerunt.

Secundo, discipuli postquam e somno evigilarent, viderunt maiestatem Christi in nube, inter Moysem, et Eliam, ufi Lucas, c. IX. habet: sic postquam omnes mortales obdormierint, tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum maiestate inter sanctos et angelos, quo modo etiam virgines illæ decem, postquam dormierunt omnes, repente excitatae sponsum audierunt adventare.

Tertio, in transfiguratione Christus alteram speciem induit, gloriosam scilicet, et resplendit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus sicut nix: ita in resurrectione formam judicis induet severam: assumet faciem solis instar omnia perlustrantem, omnia pervidenter: prodibit niveo cum candore apostolorum et aliorum, qui proxime ei adhærebunt, et cum eo simul judicabunt, h. e. approbabunt ejus judicium. Sol oculo sano gratus, affecto molestus: ita Christus judex bonis optatus, malis infestus erit.

Quarto, in transfiguratione Moyses et Elias loquebantur de morte Christi; Petrus autem exclamabat: *Bonum est nos hic esse*. Ita in die judicii repræsentabitur impiis crux Christi, et beneficium redemptionis ad eorum confusione: electi autem sibi gratulabuntur: *Bonum est nos hic esse*, præ gaudio exclamabunt.

Quinto, in transfiguratione Pater intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*: in die judicii intonabit Christus super electos primo: *Venite benedicti*; super reprobos: *Ite maledicti*. Jam si disci-

puli ad vocem Patris territi corruerunt in facies suas, quomodo stabunt ibi peccatores? *Leo rugiet quis non pavebit?* ait Amos, cap. III.

Sexto, in transfiguratione Christus inter Moysem virum mitissimum, et Eliam virum zelo justitiae ardentissimum, qui impios gladio et igne perdidit, apparuit: in judicio Christus ex una parte se mitissimum exhibebit electis suis igneum vero et terribilem prescritis.

Quando igitur hæc tam mira tamque longe posita spectavimus in hoc monte, non sit nobis satis semel eum ascendisse, quin potius sèpissime eo descendamus pia meditatione: videamus gloriam et divitias cœlestis nostri ducis, ne non etiam nostras in cœlo repositas: consideremus vanitatem mundanæ felicitatis: denique illum totius mundi mirabilem conventum in valle Josaphat. Speculemur ex hoc monte, quæ ibi nos expectet domus, quæ regio, qui concives, quod seculum, quæ æternitas: in hac contemplatione moriamur cum Moyse, ut discamus mori, et transire ex hac miseria ad beatam illum vitam.

#### CONCIO IV.

##### QUARE CHRISTUS IN PASSIONE SUA FECERIT EXCESSUM.

- I. Excessit ut ostenderet, quantum malum sit peccatum. — II. Ut ostenderet nobis amorem suum. — III. Ut excessus nostros malos suo bono compensaret. — IV. Ut defectus nostros suis excessibus compensaret.

##### THEMA.

*Apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes.*  
Matth. XVII.

Quid cum Christo transfigurato locuti sint Moyses et Elias, exponit S. Lucas iis verbis: *Diebant excessum, quem completerus erat in Jerusalem*. Quis hic excessus? Utique ejus passio completa in Jerusalem. Ea vero excessus ab interprete nostro merito appellatur, quia in ea Christus satisfaciendi modum pro peccatis nostris magnopere excessit. Quia enim nos una sanguinis gutta, imo una oratione, velut opere infiniti pretii (loquendo absolute) redimere potuisset: ecce quid non fecit? Effudit omnem sanguinem, passus est in omnibus membris et anima viribus, passus est omnis fere generis cruciatus, passus est sine omni consolatione omnis generis contumelias; dedit quidquid habuit, usque ad nuditatem. Ad hæc in particulari ubique excessum passus est. In monte Oliveti, dum fustibus et armis velut latro caperetur et vinciretur, nonne excessus fuit? Dum ultra statutum verberum numerum flagellis

cæsus est, nonne excessus fuit? Dum homicidæ Barabbæ posthaberetur, dum spinis coronaretur, nonne excessus fuit? Dum supra vires truncu crucis oneraretur, ut sèpissim corrueret, et propterea crux in alterius dorsum transferri deberet, nonne excessus fuit? Dum in crucem actus etiam sannis acerbissimis in summa afflictione pungeatur, nonne excessus fuit? Dum post mortem etiam lancea vulneratur, quis non excessum dicat? Igitur videndum cur sic excedere voluerit.

I. Excessit, ut ostenderet nobis quantum malum sit peccatum. Tametsi enim una sanguinis gutta sufficisset ad totum mundum, imo plures mundos redimendos propter infinitatem pretii oblati, et personæ offerentis; quia tamen plebs rudis infinitatem hanc non capit aut expendit, inde parvi aestimassent unius guttæ sanguineæ effusionem, ac consequenter peccati gravitatem; velut si una simplici herba curaretur periculosus morbus, non tam efficaciæ herbæ, quam morbi levitati cura adscriberetur a vulgo. Quare voluit Christus tale tamquam copiosum pretium dare, omnemque adeo sanguinem effundere, omnis generis tormenta in omnibus viribus anime et corporis perferre, ut jam omnes videant ac palpent, quantum malum sit peccatum, quod tanto pretio redimi debuerit, quamque periculosus fuerit noster morbus, cui tollendo tanta phlebotomia adhibita est. Dicite enim quæso: Si quis vestrum in civitatem regiam veniret, et videret in foro civitatis theatrum tragicum erectum, tamque civitatem in luctu, et causam inquirens audiret, quemdam ex aula regis famulum deliquesce in regem, ideoque in vincula conjectum, ut supplicio plecteretur: filium pro regis unicum et dilectissimum, quia famulum diligebat, carcere clam intrasse, commutatisque cum famulo vestibus, eum dimisisse, ipsum vero ejus loco in carcere mansisse: propter istud factum regem filio iratum, velle eum hodie supplicio afficere, nec uno sed variis tormentis enecare. Videret postea produci filium, primo alapis cædi, dirissime dein flagellari ad sanguinem usque toto corpore profluentem, pro regia corona spinea redimiri, cum latronibus duci, et cruci affigi, donec ibi expiret summis in doloribus, insuper post mortem ejus lancea eum configi, quod quæso diceret spectator? Quod est illud facinus, diceret, quod in regem admisit famulus? Quantum scelus esse debuit? Deinde, si hoc ita plexum est in filio, qui facinus non patravit, nonne multo atrocius sæviisset in famulum, si e carcere emissus non esset? Aer in passione Domini obscuratur, elementa dolent, terra concutitur, cur? Homines sunt, qui in Deum peccarant, ideo-

constricti erant et servati ad supplicium. Sed Dei Filius amans homines, eorum reatum in se suscepit; unde factum, ut pater in filium adeo sacerdaret, tot variis tormentis. Quantum putatis nunc fuisse scelus hominum? Multum fuisse, si Pater Filium a conspectu suo removisset, uti relegavit Absalonem David, quod is fratrem occidisset. Sed tamen peccati gravitatem pauci ex hoc agnoscissent. Jam ergo dum filius unicus et dilectissimus tot poenis affectus est ob alienum illud peccatum: quantum putatis illud fuisse? Et si homo ipse plecti debuisset, nonne singuli peccatores, si clementissime cum eis procederetur, ob singula peccata lethalia, ita mulctari debuissent, sicut Christus est mulctatus? Si enim in viridi ligno et pretioso hoc factum, quid fiet in arido et inutili? Cogitet ergo quisvis peccator se, nisi Christus pro eo passus esset, ita cruciandum fuisse ad minimum, sicut Christus cruciatus fuit, et quidem sine fine.

II. Ut indicaret nobis, quanti nos estimarit atque amarit, qui non contentus justum dare pretium, etiam superabundans pro nobis exhibere voluit: quomodo pia mater ut filium, quem amat, seductum et captivum, a supplicio redimat; non solum cimelia sua vendit, sed vestes etiam de collo detrahit, et suppellectilem divenit. Quod si dives quis mercator captivum a Turca redimeret, data omni sua substantia; quis amorem ejus satis praedicare posset? Pulcherrimum ejus rei exemplum habemus in S. Remberto episcopo Bremensi, apud Sur. 4. febr. Qui cum venisset aliquando ad partes Sclavorum in Sleswicum, ubi recens conversam habebat Ecclesiam: « Vedit multitudinem captivorum in catenis captivam teneri, inter quas virgo quedam Deo sacra: ut eminus illum conspergit, tam genu flectendo, quam caput crebro inclinando; tum honorem illi exhibere, tum ejus misericordiam pro sui liberatione implorare videbatur; atque ut ipsam intelligeret esse christianam, sublata altius voce cepit cantare voces. Tum episcopus miseratione commotus, cum lacrymis rogabat Deum, ut ipsi optularetur: ad cuius preces mox dirupta est catena, qua ad collum vincta tenebatur: ne tamen posset effugere, facile impediabant eam gentiles illi, inter quorum manus habebatur. At episcopus pro ejus receptione anxius detinentibus eam paginis, complura diversi generis pretia pro illa obtulit: verum nullam accipiebant conditionem, nisi eam solam, ut equum suum, quo ipse sedere consueverat, ipsis daret. Quod ille vire pius misericors non detrectans, et repente de equo desiliens, totum illum cum omnibus ad eum pertinentibus

pro captiva dedit, redemptamque libertate donavit; potestatem illi faciens, quo vellet, abeundi. » Simillimum quid Christus egit. Captivum fuit humanum genus, quod amare coepit Christus, quia saltem praevidit futuros ex illo innumeros, qui posterioribus saeculis laudes ejus celebraturi et gratias acturi essent: itaque nihil non obtulit pretii pro illis, orationes, jejunia, cruciatus inumeros, denique cum justissima Dei vindicta contenta esse nollet, nisi equum, id est, corpus et vitam pro iis daret, libens ac volens dedit juxta id Isa. L. *Corpus meum dedi percutientibus*: et Isa. LIII. *Si posuerit pro peccato animam suam*: sicque eos in libertatem vindicavit. Vide te nunc Christiani quomodo amarit vos. Iudei, qui suscitations Lazari aderant, cum viderunt Christum plorantem ejus mortem, dicebant: *Ecce quomodo amabat eum!* Nos cum audiimus eum amore nostri sanguinem fudisse, nonne potiore jure dicemus: *Ecce quomodo amat nos!*

III. Ut excessus nostros malos, quos in dies committimus, suo bono compensare excessu. Si enim: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*, Deut. XV. pro excessu peccatorum faciendus erat etiam excessus poenarum. Interrogate magistratum civilem, annon pro enormibus sceleribus etiam enormia supplicia repandat: quo modo Amam pessimus regni hostis in altiore longe furcam suspensus est quam alii. Quia ergo venerat Christus satisfacere pro enormitate excessuum nostrorum, quid mirum, si in suppicio peccati sustinere excessum voluit? Dux Henricus Brunsensis cum audisset quod in memorabili illo prelio inter Mauritium Saxonem electorem, et Albertum Brandenburgicum, anno 1343. habitu, filius ejus natu minor occubuisse, nihil commotus dixit: *Sic oportet juvenum ora purgare*. At ubi dictum fuit, quod etiam alter ejus filius natu major, serius ac severus magnaeque spei juvenis, in campo interfectus repertus esset, sublacrymans dixit: *Hoc nimium est*, Zeil. in histor. trag. VIII. Nihil communius hominibus, quam peccando pugnare cum Deo. Tolerat is plerunque communes hominum lapsus, qui aut ex infirmitate, aut ignorantia contingunt: memor fragilitatis nostrae, juxta id Psalmi CII. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit flagitium nostrum*. At vero quam plurimi nimium quantum excedunt limites omnes ex mera malitia peccantes! Grave quidem, sed modo aliquo condonandum esset, superbe et ultra facultatem et statum se vestire; sed insuper novas quotidie vestium insolentias excogitare: hoc nimium, et excessus est. Ideo Christus non solum ludicia in

purpura derideri voluit, sed etiam novo ludibrio a diabolo excogitato, gestare spineam coronam. Satis superbiae esset corpus novo in dies luxu onerare et ornare; sed ita etiam vestire, ut ejus nuditas appareat, id profecto nimium est. Ideo Christus non solum in ueste alba velut stultus illudi et in facta purpura voluit, sed etiam nudari et nudus in cruce affigi. Satis avaritiae foret pauperibus nihil dare; sed probra loco eleemosynæ in eos jacere, id nimium est; ideo Christus non solum sperni et repudiari a Iudeis volui, sed etiam illudi. Satis avaritiae foret, pauperes et pupilos spoliare; sed insuper spolia illa luxu et aleis perdere, id sane nimium est. Ideo Christus non solum vestibus spoliari voluit; sed sustinere insuper, ut pro iis luderetur in conspectu ejus. Satis libidinis foret soortari et adulterari; sed vero contra naturam peccare, et incestu admittere, proh! id nimium est, ideo Christus non solum naturali modo per flagella sanguinem suum fundere voluit, sed etiam contra naturam sanguinem sudare. Sat libidinis foret carnem a lascivia non frenare; at vero etiam irritare cibo, potu, medicamentis, aliisque illecebris, id sane nimium est; ideo Christus non solum decreta sibi a Pilato supplicia ferre voluit: sed etiam non deereta, et mera militum libidine, vel Iudeorum instigatione sibi inflicta. Satis gulæ foret inebriari usque ad os; sed insuper vomere ut rursum inebrieris, nonne nimium est? Ideo Christus non solum ferre voluit sitim, sed etiam acetum, quod sitim auget, portari. Satis gulæ foret, non jejunare in quadragesima, cum possis; at vero etiam carnes vorare, cum non indigeas, nonne nimium est? Ideo Christus non solum siti cruciatus est, sed etiam felle potatus. Satis insanie foret per sacramenta exercitari; at vero excogitare diras et inauditas sacramentorum execrationes, nonne nimium est? Ideo Christus non solum contumelias, sed etiam beneficiorum suorum suorum exprobationes debuit audire. Satis furiae esset, probris, contumelias, sannis alias excipere; sed insuper gladiis et sclopis petere, id nimium est; ideo Christus non tantum probris affici in cruce, sed etiam clavis et lancea transfigi voluit. Hinc iure Christus queritur Isa. XL. *Præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*.

IV. Ut in altero extremo defectus nostros nimio suo excessu satisfactionis compensaret. Plurimi certe sunt, qui etiam res parvas difficulter Deo dant, et prius examinant ac disputant, utrum dare oporteat; uti mulier illa Samaritana, quæ petenti haustum aquæ Christo non dedit, sed cum eo potius contendit; quod ipsis velut Iudeo non licet ab ea petere haustum, utpote a Samaritana, quæ

gens Iudeis exosa esset: cum tamen debuisset sibi potius gratulari, quod homo Iudeus eam non aversaretur, ipsaque nulla lege prohiberetur communicare cum Iudeis. Hujus ergo exemplo plurimi querunt effugia vana ut Deo parum aut nihil dent; pauperes examinant, nec solum inanes dimittunt, sed etiam objungant velut ignavos, improbos, vagos; nimis parum hoc est. Quotidie comedere, et vix mensæ micas pauperibus servare; nimis parum est. Tota septimana in quadragesima cum prandio cœnare, solo die Veneris cœna abstinere; nimis parum est. Toto anno negotiis saeculi occupari, et semel tantum in paschate cum Deo versari et communicare; nimis parum est. Jejunii diebus a carnis tantum abstinere, cum non sint labores, nec invaleudo; nimis parum est. Integrum peccatorum plastrum afferre ad confessionem, et non nisi modicam admittere penitentiam velle; certe nimis parum est. In quadragesima non sæpius frequenter templum, et audire Dei verbum, quam diebus festivis; nimis parum est.

Nimis parum repedit servatori suo remigi Alphonsus II. rex Neapolitanus, qui in mare e navicula lapsus, et ejus opera liberatus, non plus ei meriti gratia, quam duodecim uncias, h. e. sexdecim florenos annuos ex æario suo persolvere jussit, auct. Chav. de prud. I. IV. c. IV. Nimis parum id erat pro tanto beneficio servatae vite. Cogitemus jam quid præstiterit nobis Christus. Prolapsi eramus e navicula gratiæ divine in mare perditionis, utique mergendi, nisi Dei Filius de cœlo in hunc mundum, nudus et pauper se dirississet, et ut nos eriperet, nobis quasi adnatando vitam servasset. Quid tanto liberatori dignum repedemus? Si nos ipsos millies demus, parum aut nihil erit. Quare si in piis operibus tam parci erga ipsum sumus, id vero nimis parum est.

Hoc expendentes primi illi sancti Christiani, quidquid pro Deo agerent, minus esse putabant. Martyres non unum, sed varia tormenta sustinere gestabant: anachoretæ totam vitam in eremis et miseriis, vigiliis et jejuniis, orationibus et mortificationibus consenserunt: monachi et moniales in monasteria velut in perpetuos carcères sese incluserunt: episcopi et confessores in lucrandis et curandis animabus diu noctuque desudarunt: cæteri sub Christi iugo strenuissime militarunt. Cesset igitur jam querela, quasi nimis multa exigat a nobis Christus et Ecclesia, quasi nimis multa patiamur. Si enim quotidie pro eo moriamur, qui nos adeo amat, nihil condignum reddemus.